Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-529447-p0001-8

A. 17.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-529447-p0002-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-529447-p0003-9

2.

Q. D. B. F. Q. V.

De

ANALYSI HE-BRÆÆLINGVÆ

Regularum Grammaticarum rationes genuinas ſecundum naturæ ductum demonſtrante,

DISSERTATIO

Quam,

Rectore Academiæ Magnificentiſſimo, Sereniſſimo Principe ac Domino

DN.

FRIDERICO WILHELMO,

Electoratus Brandenburgici Hærede,

&c. &c.

Ad D. 23. May Anno M. DC. XCVI.

Placido Eruditorum Examini ſubmittunt

PRÆSES

M. OTTO WILHELM: SCHÜSLERUS

Blankoburgenſis

Et

RESPONDENS

Auguſtus Erneſtus Reinhardus.

Molhuſ. Thuringus.

Halæ Magdeburgicæ, Literis VIDUÆ SALFELDIANÆ.

OMnis lingvarum accurata notitia ex fundamentis Analyſeos penitioris meritò diducenda venit. Qvamobrem, qvo utilius magisqve neceſſarium, ad addiſcendam rerum divinarum humanarumqve ſapientiam, gentis cujusdam labium reperitur; eo majori cura atqve diligentia ipſius indaganda eſt vera naturalisqve Analyſis. Jam vero nemo eſt, qvi non confiteri neceſſum habeat, Lingvam Hebraicam ad intelligenda τὰ ϑεῦ λόγια, maximè eſſe neceſſariam: ergo facile concedet unusqvisqve, hujus etiam ſanctisſimæ Lingvæ reſolutionem Grammaticam, qvoad ejus fieri poteſt, ſtudiosê inqvirendam eſſe. Præſtiterunt hoc (a) ViriExcellentisſimi Doctisſimiqve qvam plurimi, qvibus laus & honor gratiarumqve debetur actio.

Verum enim vero, qvando regulas obſervationesqve ab illis ſtudioſisſimè collectas perlegimus, easqve memoriæ imprimere ſtudemus; evenit haud rarò ingenio noſtro, ut regularum apertas ſcire rationes, deſiderio flagremus maximo. Nam genuinæ analyſeos rationes non tantum delectant animum & ad apprehendenda rectius præcepta multum conferunt; Sed etiam, ubi dari poſſunt,

(a) Chriſtophorus Helvicus. Martinus Troſtius. Joh. Buxtorfius. D. Matthias Wasmuth. M. Samuel Bohlius. Celleberrimus noſter Chriſtophorus Cellarius aliique.

possunt, id præstant, ut homo acquiescat svaviſſimê, reique prolatæ reddatur certus. Quamobrem docentis omnino est, omnem dare operam, ut Auditoribus regularum rationes tradere nativas feliciter possit. *Nam nisi te totum inquisitioni tradideris, nisi artis tuæ quam tractas, causas rationesque fueris perscrutatus, crede, te alienis oculis videre, alienisque auribus audire* inquit prudentissimê *Franciſc. Sanctius in Minerva cap. 1.* & paulo post cap. 2. idem adjicit: *Quantacunque auctoritate mihi Grammaticus polleat, nisi ratione, propositisque exemplis, quod dixerit confirmaverit, nullam in re præsertim grammatica, fidem faciet.* Arduus quidem longêque difficillimus hic labor est, sed forti susceptus constantique animo, facili tandem negotio omnem molestiam, dulci amœnitate sua compensat. Nec primi quidem sumus in hoc negotio; sed multi præclarissimi viri celeberrimique in hoc Hebraici (β) non tantum, sed Latini (γ) quoque sermonis genere, eodem modo tractando, stellarum instar prælucent nobis. Quam ob causam eorum insistentes vestigiis, veniam â prudente Lectore nos facile impetraturos speramus; Si ea quo-

(β) Alhardi de Raadt in Comment, de Punctationis Hebraicæ natura.
F.M.B. ab Helmont in delin. Alph. vere naturalis Hebraici.
Celeberrimus Hermannus ab Hardt in Fundam. Hebræ Lingvæ.

(γ) Plato. M. Terentius Varro. Isidorus Episc. Hispal. aliique, quos magno numero adducit Christianus Becmannus in Tractatu de Originibus Latinæ ling. p. m. 145. seqq. Julius Cæsar Scaliger de Causis Latinæ Lingvæ. Franciscus Sanctius in Minera S. Comment. de causis Latinæ Ling. cum notis Casp, Scioppii & Jacobi Perizonii.

quoque adjunxerimus, quæ hactenus ex frequenti cum amicis collatione addidicimus. Omnem autem curam induſtriam fidemque in eo ponendam eſſe ſemper ſtatuimus, ut linguarum fautores facili ſvavique methodo, & quidem, hujusmodi quæ eſt ad oculum accommodata, ad fontes Hebræorum planè divinos, avida adduceremus traheremusque animi cupiditate. Hinc etiam quantum modo fieri potuit, ad Captum Auditorum Lingvæ S. fundamenta proponendo direximus.

Analyſin vocamus naturalem, quæ eſt ad ductum naturæ accommodata, quia rationes indagamus apertas, evidentes, naturales, ſponteque fluentes.

Petuntur autem hæ ipſæ rationes ex Principiis & fundamentis ipſius linguæ Hebraicæ. Quæ certo, eoque parvo includemus numero.

Fund. I.

COnſonantium natura atque indoles ante omnia benè notari debet. Ex his

Literæ אהוי eandem agnoſcunt originem, & una ex altera facilè derivatur. Quando enim תֹו paululum producitur eſt ו, hoc vero quando ter ponitur, bis protractè, ſemel oblique, eſt יי. Ex י & ו deinde haud difficulter reſultat א.

Quoniam itaque ex una derivantur omnes, hinc natura quoque earum eſt eadem. Hoc eſt, literarum אהוי natura eſt quod ſint ſpiritus.

א Simpliciſſimus eſt Spiritus, nil niſi ſimplicem halitus emiſſionem deſignans. Optimè igitur per Græcorum (᾽) Spiritum lenem exprimitur. Quod & Græci obſervant LXX. in viralì, nec non in ipſo N. Teſtamento Gen. 5. 3. (it. luc. 3. 38.) ἀδὰμ v. 6. ἐνὼς v. 18. Ἰάρεδ. Εσρὼμ

Matth. 1, 3. Unde & antiquioribus Grammaticis visum fuit, τὸ א exprimere per a. e. i. o. u. quia ex æquo cum omnibus consspirat vid. Alh. de Raadt Com: de Punct. Hebr. natura.

ה Habet indolem Spiritus Græcorum asperi (') ἁλς.

ו Obscurè pronunciatur non ut Vau sed vh.

י Exili modo profertur ut i nudum, notante D. Wasm. Sect. 1. de literis.

Quia vero literæ אהוי eandem habent originem, ejusdemque sunt naturæ; ergo nemo mirari potest, unde frequens illarum (1) quies (2) permutatio seu alternatio, vel etiam (3) absentia. Hoc posito fundamento rationem apertè constare arbitramur Observationis Wasmuthianæ Reg. 2. Memb. 2. Cur hæ literæ אהוי non admittant Scheva simplex, nec expressum in medio, nec subintellectum in fine, sed quiescant tunc in præcedente vocali ut Gen. 6. 7. בָּרָאתִי Psalm. 77. 15. פָּדִֽיתָ Es. 1. בִּימֵי it. חָזָה ibid.

(1) quies

(2) permutatio

Porro probatur ex eodem principio earum alternatio, cur vid. (א pro ה) Jer. 25. 3. אַשְׁכִּים pro הַשְׁכֵּם surgere. (א pro י) מִי אֲנַחֲמֵךְ quis consoler te Jes. 51. v. 19. pro יְנַחֲמֵךְ.

ה pro ו affixo עִידָהּ Gen. 49. 11. pro עִידוֹ pullus ejus ה pro לְהִי pro לִי Jud. 16. 18.

ו pro א מְחַסּוֹ pro מְחַסֵּא Gen. 20. 6. & alia plura quæ summo studio collegit. B. Wasm. Reg. XXXI.

(3) abjectio.

Huc referatur quoque earundem abjectio frequens. Nam quia sunt spiritus facillimè eliduntur: Hinc usitata contractio ut מְצָאתִי pro מְצָאתִיו Num XI. 11. בָּנוּ pro בָּאנוּ 1. Sam. 25. 8.

Fund.

Fund. II.

NAtura Gutturalium אהחער itidem accuratê eſt ponderanda. In genere dicimus eas habere innatam claritatem. Ratio eſt, quia *Litera Gutturalis*, notante Alh. de Raadt. Defin: VI. *ejusmodi eſt Spiritus, in cujus prolatione guttur maximê laborat.* Ergo

א Tanquam Gutturalis naturaliter pronuncietur ut ah raptiſſimum clarumque.

ה Ut clarus ſonus & aſper.

ח Fortius ut duplex ה clarum, ubi latera ſunt adhibenda in genuina pronunciatione.

ע Eſt ſpiritus omnium aſperrimus, & propterea etiam eſt clariſſima judæorum litera, quæ ſatis recte â nobis pronunciari nequit, niſi manum admoveamus gutturi, quo adminiculo diſtinctius clariſſimus ejusdem ſonus auribus percipitur: nam in nodo gutturis efformatur, unde non ſine ſummo conatu inde protruditur.

ר non ut reſch, quia hæc denominatio eſt technica, nec ut (er) ſed nudê & naturaliter ex gutture (r) tonum habet potius ר̃ (ar)

NOTA.

(1) Literæ אהחוע propriè dictæ gutturales, quia duplici funguntur officio: quatenus ſunt Spiritus & ad literas אהוי pertinent, & quatenus ad gutturales referuntur: duplicem quoque reſpectum admittunt. Conſideratæ ut ſpiritus, adſpirationem remiſſiorem ſibi poſcunt; ſed quando reſpiciuntur tanquam gutturales, clariorem ſonum adſpirationemque naturâ ſibivendicant, Hinc patet cur utroque modo dicere poſſim Gen. 2. 18. אֶעֱשֶׂה & Gen. 6. 14. תַּעֲשֶׂה

(2) Quia

(2) Quia gutturales ſunt ſpîritus aſperrimi, propterea dagesch fortè illis imprimi nequit. Quomodo enim quis ſpiritum, in cujus prolatione gutturis vis fermè exhauritur, bis forti niſu efferret? Hinc ipſa natura reluctante, gutturales excludunt Dageſch forte, & compenſant illud per vocalem longam, quæ propius ad earum indolem accedit. Conf. Waſm. Reg. VII. ejusque Memb. 3. Attendatur hoc in verbis gutturalibus ſecundæ radicalis, & quidem in Conj. Piel. Pyal & Hithpael, ubi ob ſupra dictam rationem loco brevioris vocalis & Dageſch fortis ponenda eſt longior.

Applicetur hoc ipſum Fund. I. & II. nec non Nota I. de duplici gutturalium reſpectu, in verbis tertiæ Rad. א & ה ut & in verbis quieſcentibus primæ Rad. י & 2dæ Rad. ו ſic apertè conſtabit genuina mutationis vocalium & conſonantium אדוי ratio. Cur enim Radix מָצָא in fine habet ־ pro - ordinario? ratio eſt, quia א tanquam ſpiritus etiam paululum vult audiri, hinc longior omnino requiritur. Nam ut D. Wasmuth dicit, *tertia radicalis* א *quieſcit i. e. ſuaviter combinatur in & cum vocali longa* Reg. 32. Memb. 2.

Et ita in reliquis temporibus, modis & Conjugationibus horũ verborũ, quando anomalia quædam occurrit, cuivis patebit ex eodem fundamento nativa hujus ratio. Hinc etiam in Jmperat. Kal. eſt מְצָא in Fut. אֶמְצָא cum tamen adeſſe deberet י Quoniam enim א hic conſiderandum eſt ut gutturalis, ergo guttur quoque in ejus prolatione laborat, ex quo deinde clarus producitur tonus. י autem quia eſt ſpiritus, propter laborem gutturis ibi ſtare nequit, ſed tanquam Spiritus exſpirat. Hæc eſto demonſtratio Reg. 32. D. Waſm.

In

In verbis tertiæ Rad. ה ad oculum demonſtrari, ex dato fundamento, quam plurima poſſunt. Unde enim præteritum Kal in גָּלָה tot agnoſcit variationes literæ ה ut ſcilicet non tantum in י ſed etiam in ת mutetur, imò planè exſpiret in tertia plurali præteritorum omnium? niſi ex hoc fundamento? quid? quod exinde patet ratio, cur omnia præterita verborum tertiæ Radic. ה habeant (ה) omnes imperativi (ֶ) omnia futura (ֶ) omnia participia excepto Paul (ַ) Conferatur D. Waſm. Reg. 33. 34. Item de anomalia quieſcentium verb. primæ Radicalis י in יָלַד nam quia י eſt ſpiritus, ergo in infinitivo & Futuro Kal vel adeſt vel abeſt, ſalva formatione. Deinde in Niphal & Hiphil י facilè tranſit in ו cholem, in Hophal in ו quia ſunt ejusdem Originis & naturæ. Et ita D. Waſm. Reg. 37. de Anomalia primæ radic. י eſt clariſſima.

Quod ſi idem in verbis ſecundæ Rad. ו obſervetur, nulla eſt difficultas anomaliæ. Spiritus enim vel contrahitur, vel alter in alterum mutatur, vel planè abjicitur ex natura & indole ſibi propria. His ita poſitis, naturalis ratio Reg. 36. D. Waſm. de Anomalia verborum ſecundæ Radic. ו traditur.

כ quia proximè accedit ad ח interdum claritatem quandam natura duce requirit Gen. 3. 17. תֹּאכַל it: תֹּאכְלֶנָּה &c.

ג Hebræis propter ronchum, quia per nares eſt ducendum, non tantum pronunciatu difficile, ſed etiam moleſtum eſt. Hinc vel abjiciunt, vel compenſant. Quod potiſſimum ex verbo primæ radicalis ג conſpicitur. Ibi enim propter rationes allatas, in infinitivo & Imperativo Kal. ſæpius abjicitur: In Futuro Kal, nec non in toto Niphal, Hiphil & Hophal per Dageſch forte compenſatur.

Idem obtinet in particula מִן ut מִן־הָאָרֶץ à fine Gen. 4.3. eſt מִקֵּץ ſiquidem ן ob euphoniam per Dagesch forte ſequenti aſſimilatur literæ. Quando vero natura ſequentis conſonæ non fert aſſimilationem illam per Dageſch forte; Nihil ominus נ Hebræis pronunciatu graviſſimum exſpirat,& Dageſch forte cum præcedente Chirek ſeſe conjungit. ut מִעוֹלָם Prov. 8. Conferantur D. Waſm. Reg.38. & 39.quas ex hoc fundamento omnino fluere oportet.

ה & ת Quia quoad formam ferme conveniunt, propter celeriorem pronunciationem, facilê admittunt commutationem, ita ut ה tranſeat in ת.

Fund.III.

De Vocalibus.

VOcales longiores longiori cum mora natura ſunt proferendæ; breviores autem celerius breviusque.

Ratio hujus eſt, quia Syllaba ſi deſinit in vocalem, eſt Simplex; & ita ordinariê requirit longam, niſi celerior pronunciatio hoc ipſum impediat. Quando v. Syllaba deſinit in conſonam, vocatur compoſita, & ſic ordinariê habet breviorem vocalem, niſi propter Accentum, vel diſcriminis ergo interdum pro brevi ponenda longior. ex: gr: הַבָּר 2. Reg. 20. 15. pro ר ultimo adeſſe debebat ־, ſed hoc fit propterea, ut radicem verbi â nomine diſtingvere poſſis.

Hinc ſequitur, quod מַיִם cum patach legendum ſit maim contractê, non ma-jim; nam natura vocalis repugnat. Si vero adeſt ר prolongetur tonus.

Obſervat ex Maſorethis clariſſimus Alardi de Raadt,

quo-

quomodo vocales una ex altera naturâ fluant, & quidem pro flexione labiorum & oris. Eamque ob causam vocalibus denominationes illas datas esse. *Nam (a) dicit maxime movet labium inferius, & maximè os aperit (e) & (i) parum os distendunt, & (o) atque (u) id iterum contrahunt, postquam jam apertum est per alias vocales* p. 11. Deinde ex (-) reliquas deducere conatur. Sed si nostram licet proferre sententiam, in hoc cum ipso & Masorethis facere non possumus. Nam propius nos accedere putamus, si ex (·) reliquas componamus vocales omnes, quod tamen suo cuivis judicio relinquimus. Hoc tamen notamus peculiare circa וּ & ִ Cholem, Scurek, & Kübbuz, quod eandem habeant originem, & inde facilè inter se permutentur. Namsi punctum תֹּוֹרָה superius inseratur fulcro ו est Schurek. Si vero ו illuddividas, & tertium punctum boni ordinis gratia addas, est ִ sic ה pro ו Ps. 73. 2. שְׁפָכָה pro שְׁפָכוּ effusi sunt. Conferatur D. Wasmuth. Reg. 44. de Euphonica vocalium alternatione.

Fund. IV.

De signis Vocalium eorumque adspiratione.

VOcales breviſſimæ olim ita dictæ (:) (-:) (ʷ:) (ᵀ:) & (ᴴ) genubha, sunt potius signa tantum accuratissimæ lectionis, quam vocales proprie dictæ. Ratio est (1) quia quinque vocales a. e. i. o. u. breviſſimas omni ex parte exprimere nequeunt. Licet enim ᵀ: ad ¯, ʷ: ad ˙ ᵀ: ad ᵀ: refer-

ferri possit; Desideratur tamen i & u brevissimum. (2) Quia confitentur Grammatici, dari scheva simplex & Compositum, & præterea dicunt: *Nullum scheva sua natura & per se legi* vid. Vivvegius in Hodegeth. didact: p. 19. *nullumq; sonum habere* D. Wasmuth. notante sect. 3. de vocali impropria (:) Reg. 1. nota 1. Ergo nec composita. Quod si careant tono, non sunt vocales proprie dictæ, sed signa lectionis accuratissimæ, pro magno Dei dono habenda; Siquidem horum beneficio, non tantum elegantem, sed etiam certam indubitatamque habemus pronunciationem.

Est itaque (:) Scheva nil aliud quam *Signum absentis vocalis*, literarum accuratã docens connexionem. *vid. Vivvegius in Hod. Did.* p. 18.

Latini & Græci si admitterent punctandi rationem, in ⁊ pratum, praxis, Psalmus, Clepsydra &c. adjicerent Scheva. Ex quibus videmus, quod officium ⁊ Scheva nullum sit aliud, quam docere collisionem & combinationem consonarum accuratam. Hisce ita positis Reg. 1, D. Wasm. de lectione ⁊ Scheva facilê dijudicatur.

Demonstratio.

JAm de Nominis Hebræorum statu *absoluto & constructo* agendum est. Nomen dicitur *absolutum*, quando nudê nulla alia apposita voce (Grammatice loquendo) in contextu conspicitur. *Constructum*, quando cum alio nomine construitur vel componitur. Ut conceptus formetur distinctior, sic habeto: Quando in Latina, Græca & Germanica lingua duo concurrunt sub-

ſubſtantiva, poſterius in genitivo ordinarie ponitur. Hebræi autem, quia caſibus ſunt deſtituti, mutare eos non poſſunt. Eſt itaque hoc linguæ Hebrææ proprium, ut in concurſu duorum nominum mutet prius, non vero poſterius,& quidem quoad vocales. Fundamentum in eo eſt ſitum, quia Hebræi propter celeriorem pronunciationem, quæ illis eſt nativa, ad finem orationis, quantum fieri poteſt, properant: Hinc quando duo concurrunt nomina, maximus reſpectus (quoad emphaſin) ſemper ad poſterius habetur, eamque ob cauſam fit neceſſariò, ut propter hunc affectum, ſequens vox tanquam una eademque cum priori quoad ſonum cenſeatur. Confirmat hoc elegantiſſime Al. de Raadt in Com. de natura Punct. Hebr. def. 17. *Regimen eſt conſtructio, quâ præcedens vox ita ſequenti incumbit, ut pene in unam mutentur.* His ita pro fundamento poſitis, proceſſus facile patet; cur ־ abjiciendum ex דָּבָר quando jam conſtruitur Eſ. 1. 10. דְּבַר יְהוָה it. cur in plurali dicendum ſit דְּבָרִים non דְּבָרִים. Nam quando vox creſcit, tonus rejicitur in ultimam; & ita per affectum exſpirat ־, & ſignum vocalis abſentis apponitur (:) Ex hoc fundamento evidenter cognoſci poterit genuina D. Wasmuth. Reg. IX. ejusque Memb. 2. ratio. *Accentus è regulari ſua natura ultimam ſyllabam occupat, unde voce á fine creſcente, ad illud incrementum Accentus regulariter deſcendit, corripiendo communiter præcedentes vocales, longas in oppoſitas breves, vel utrasq; in Scheva. Quod generale fundamentum eſt mutationis*

vocalium &c. Conferatur Reg. 46. de neceſſaria vocalium mutatione in Nomine tantum. Eodem modo procedendum eſt in Nominibus, quæ radicis ſuæ vocalem ordinariam priorem retinent (ָ) niſi propter gutturalis claritatem loco ſimplicis (:) ֲ: neceſſariò requiratur, juxta Fund. II. Quando vero vox ex Hebræorum lubitu, ab ordinaria radicis punctatione recedit, alia res eſt. Hinc in plurali quantum fieri poteſt, attendenda antiqua & ordinaria vocalium ratio, ut in קֹדֶשׁ עֶגֶל מֶלֶךְ סֵפֶר & his ſimilibus. Ea enim in plurali reſpicienda veniunt ac ſi קָדָשׁ עָגָל מָלָךְ סָפָר &c. ſonuiſſent. Qvæ vero planè â forma ordinaria abeunt, ex uſu facilius qvam multis obſervationibus addiſcuntur. Qvoniam enim Hebræis ita loqvi placuit, ergo & nobis ex uſu in memoria hujusmodi retinere, vel attendere non diſpliceat. Idem qvoqve circa verbum פָּקַד & reliqva notetur. Nam ſi crebra repetitione hoc ſibi qvis familiariſſimum reddiderit, cum fructu rationem mutationis vocalium indagare poterit.

(ֲ:) Cateph patach *eſt ſignum adſpirationis claræ.* Adſpiratio illa ex gutturalium natura & celerrima pronunciatione profluît. ut חָכָם in ſtatu conſtructo חֲכַם לֵב Prov. 10. 8. ſapiens corde. Jam dicendum cur hoc loco Cateph patach neceſſario adeſſe debeat, & vocalis vel ſignum aliud nullum. Scilicet, qvia, ut antea diximus, qvando duo concurrunt nomina, reſpectus habetur potiſſimum ad poſterius, ubi affectus latet maximus. Hinc ex חָכָם poſterius (ָ) tranſit in ordinarium (ֲ) qvod & antea adeſſe debebat, niſi nomen â radice diſtinxiſſet. Ad prius vero qvod attinet, pro eo debebat poni (:) ſed qvia adeſt gutturalis, eaqve nativam habet claritatem; prætereaqve pronunciatio ob conſtructionem eſt celerrima,

rima, ergo ex viva ח prolatione, adſpiratio qvædam auditur clarior. Hæc vero per ſignum adſpirationis claræ, qvod eſt (-:) exprimi omnino debet. Idem obtinet in plurali חֲכָמִים Prov. X. 14. ob incrementum vocis & ſupra dictam rationem. Præcipuè autem in verbis gutturalibus primæ rad. ע & הח hoc eſt evidentiſſimum. His qvæ jam diximus rectè obſervatis, nullum ſupererit dubium, cur 2. plur. præt. Kal. it: Infinitivus abbreviatus, qvem ita vocamus, qvia cum ſtatu conſtructo nominum eandem fermè naturam habet: nec non totum fut. Kal. item Infinitivus, Imper. Fut. & Participium Hiphil loco (:) habeat & habere debeat (-:) ut 2. Chron. 7. 19. וְהַלַכְתֶּם וַעֲבַדְתֶּם Pſal. 38. 12. יַעֲמְדוּ ubi Cholem eſt propter Accentum Athnach, ut pauſa fiat major. Eamqve ob cauſam ſæpiſſimè vocalis qvædã brevis vel ſcheva ſimplex mutatur in longam & vice verſa Gen. 2. 25. יִתְבּשָּׁשׁוּ Gen. 3. 24. וַיְגָרֶשׁ pro וַיְגָרֵשׁ vid. D. Waſm. Reg. X. Memb. I.

Qvod ſi vero adſpiratio locum amplius ob concurſum conſonantium habere neqveat, ea rurſus tollitur, tonusqve naturalis retinetur Gen. I. 7. וַיַּעַשׂ pro וַיַּעֲשֵׂה ibi propter ו copulativum retrahitur accentus atq; tonus, & ita exſpirat ה cum vocali; deinde quia -: ſignum illud adſpirationis officio fungi debito non poteſt, tonus redit. Sic Num. I. 5. יַעֲמֹדוּ non vero יַעְמֹדוּ ob eandem rationem. Et ita Reg. 4. D. Wasm. de Schevajim compoſitorum conciſione in ſimplicia facilius intelligitur. Ubi qvoqve notandum, Hebræos libentiſſime obſervare illud: qvod poteſt fieri per pauca, non debet fieri per plura. Hinc dicunt 1. Sam. 24. 11. בַּארְנִי pro בְּאֱלֹהִים | בַּאֲרֹנִי pro בֵּאלֹהִים Gen. 3. 5. Hinc patet qvædam Reg. V. D. Waſm. de Schevajim contractione, ratio.

ׇ Cateph Sægol est *signum adspirationis remissæ*, qvæ media est inter claram & obscuram. Et maxima ex parte literis אהח subjicitur. Qvia hæ respectum qvoqve spirituum habent. ם qvatenus ex duplici ה deducitur. Demonstratio ex Nominibus & verbis hæc est. Devt. 32. 15. אֱלֹהַּ qvod est monosyllabicum Opitio. Jam disqvirendum cur adsit sub א ׇ ? Ratio hæc est, qvia א est spiritus lenis, ergo in pronunciando vult paululum audiri, non clare, sed remissè, qvæ est spiritus natura. Deinde qvia ֹ Cholem in fine præcedit, ה tanqvam spiritꝰ asper, vel potius tanqvam gutturalis claritatem nativam sibi poscit. Qvæ nisi certo exprimeretur signo, punctatio contra consonantium harum esset naturam.

Idem notetur in verbis gutturalibus primæ Rad. א sic patet facillimè cur Imperat. Infin. abbreviatus, fut. in Kal. pro (:) assumant ׇ It. cur Niphal & Hiphil in toto præterito loco (.) reqvirant (ׇ) & (ׇ:). Exinde qvoqve constabit cur secunda plur. præt. in Kal, nec non Imperat. Inf. & Fut. in Hiphil pro (:) reqvirant (ֲ:) si meminerîmus, duplicem respectum in literis אהחע observandum; ob qvem signorum adspirationis varietas advertenda.

ֲ: Cateph Kamez est *signum adspirationis obscuræ* sub literis אהח & supponitur iis tanqvam spiritibus ut Job. 29. 4. אָהֳלִי & Gen. 26, n. 25. אָהֳלוֹ ex אֹהֶל tentorium Qværitur, cur ibi sit positum & kamez catuph & cateph komez? propterea, qvia ob incrementum vocis propter affectum & literam א Cholem non in scheva, sed ֲ: transit; Deinde, propter spiritum ה, qvi etiam ex sua natura vult paululum audiri, & affinitatem consonantium, qvæ adspirationem cum tono libentissimè conjungit, necessario ponitur signum adspirationis obscuræ (ֲ:) Idem fit eadem ratio-

ratione in verbis gūtturalibus primæ Rad. אהחע & qvidem in toto Hophal.

(-) Patach genubha eſt *ſignum adſpirationis claræ* ſub finalibus החע. Ratio hujus eſt iterum nativa gutturalium claritas. Retractio autem, qvam omnino fieri oportet; eſt â præcedente vocali longa ; quia enim illa longius vult pronunciari, ergo non patitur (-) ſub finalibus in pronunciatione poſtponi, ſed requirit ex ipſa natura, euphonias gratia, ante poſitionem. וְלוֹחַ Gen.1.2. Si vero longior (‥) וֹ וֵ vel יֵ. immediate non præceſſerit, nec patach genubha adeſſe poteſt, (ת) enim licet ſit longa, tamen præcedens finalem החע non facit, ut adjiciatur - genubha. Ratio eſt gutturalium claritas, qvæ cum (ת) ſvaviſimè convenit.

Cur autem hæc ſigna tantum, non vero vocales propriè dictæ ſint, exinde conſtabit, *qvia ſunt celerrima pronunciationis, ita qvidem, ut nunqvam cum litera ſua faciant Syllabam, nec unqvam accentum ſuſtinere poſſint.* Notante Opitio in Atrio L. S. Sect. 3.

Fund. V. De Tono.

TOnus *Hebræorum plerumq; eſt in ultima*, fatentè Schikkardo Reg. 16. Quia enim naturâ Hebræi aliis gentibus ſunt paulo ferventiores; hinc etiam animi ſui ſenſa breviſimis celerrimisqve verbis, pro conditione animi & affectus læti vel triſtis, communicant. *In Oriente enim homines parum qvidem ob calorem, ſed*

omnia, qvasi copiosiori opus haberent anhelitu, aperto ore & patentissimo gutture, tanqvam ex ipso pectore proloqvuntur, ut omnes lingvæ commotiones facillimè observari qveant, inqvit Helmontius in Alphab. Heb. verê naturali p. 3. Exferventiore igitur Hebræorum natura, observanda venit *celerior pronunciatio.*

Et hoc principium primum & maximum est, ex qvo ferme omnis vocalium mutatio naturâ fluit; nempê gentis Hebraicæ nativa pronunciandi ratio properans est & accelerans.

Circa quam quinque cum excellentissimo Domino ab Hardt observamus momenta.

(1) Quia Hebræi celeriter pronunciant, ergo *vocalis aliqva absorbetur ac prorsus omittitur*, ejusque in locum ordinariè succedit signum absentiæ vocalis (:) quod in Regimine, in vocis incremento, in verborum temporibus ac modis evenit sæpissimê. vid. Fund. IV. Idem qvoqve fit apud Germanos frequenter. Quando enim paulo celeriores ex affectu esse cupiunt, vocales & consonantes rejiciunt, mirasque contractiones inde formant. e. g. Er brechs nur ab pro er breche es nur ab &c.

Quod vero non semper in formatione verborum hoc observetur, sed longior crescente voce nihilominus interdum maneat; ratio est, vel euphonia vel tarditas affectus, aut remora numerusve sermonis.

(2) Vel

(2) Vel ob eandem rationem, *ex immediato nexu vel concursu duarum aut plurium consonantium, vocali carentium, resultans naturalis & distinctus sonus, strepitus aut sibilus, adæquata vocali* i. e. naturali tono necessario resultante, *exprimitur, eaq; assumitur* דִּבְרֵי הַיָּמִים quæ est inscriptio librorum Chronicorum. Psalm. 33. 6. בִּדְבַר Gen. 24. 42. דַּרְכִּי Gen. 3. 15. זַרְעֲךָ & sexcentis aliis locis. Hoc rationem veram atq; genuinam monstrat Regulæ Grammatticorum decantatæ : Quando duo Schevajim concurrunt, prius mutatur in Chirek. It. exceptionis, quam statim adjicere tenentur, quod videlicet (.) ante literam ר in patach transeat vid. D. Wasm. Reg. 3. Ratio in promptu est, quia n. ר nativam habet claritatem, ergo illa in concursu vocalium observanda venit. Gen. 1. 4. וַיַּרְא pro וַיִּרְאֶה Processus anomaliæ hic est. ו copulativum retrahit accentum, hinc spiritus ה cum vocali per affectum exspirat, & ita dicendum וַיִּרְא, sed ob claritatem gutturalis ר naturaliter resultat(-). Idem observetur Gen. 1. 6. וַיְהִי pro וַיִּהְיֶה. Hoc momentum cum prioribus recte cognitum & applicatum, *arcanum Grammaticorum aperit*, & quidem in difficillimis omnium paradigmatum formationibus tertiæ radicalis ה, ubi Futura ob ו copulativum sæpissimè abjiciunt ה cum vocali & deinde ex naturali nexu alias substituunt felicissimè. Gen. 1. 7. וַיַּעַשׂ pro וַיִּעֲשֶׂה וַיְהִי pro וַיִּהְיֶה v. 8. it. v. 6. וְיִהִי ex affectu gravissimo & majestatico. Job. 36. 15. וַיְגַל pro וַיִּגְלֶה Gen. 2. 22. וַיִּבֶן ubi ה cum vocali abjicitur & deinde ex nexu consonantium necessario resultat. Hoc modo D. Wasm. Reg. 33. & 44. nota ζ genuina ratio cuivis erit obvia.

(3) Vo-

(3) *Vocalis commode cum affini nonnunqvam commutatur.* Sic (.) & (¨) quia eandem agnoſcunt originem facillimê alternant. Obſervatur hoc potisſimum in Conj. Hiphil, ubi utrumqve reperitur הִפְקִיד & אַפְקִיד אַפְקֵד הִפְקֵד

(4) *Fit contractio, qvam valde ob brevitatem & celeriorem pronunciationem ſuam Hebræi amant*, & ita conſona vel ſyllaba per ſyncopen & aphæreſin abſorbetur. Reperitur hoc ipſum quam ſæpisſimè in verbis qvieſcentibus ſecundæ Rad. ו. Sic קָמ pro קָוַם dicitur, nec non in geminatis mediæ radicalis ex. gr. סַב pro סָבַב &c. Hoc aperit rationem Reg. D. Wasm. 40. de Anomalia literæ ת Schevatæ, nec non Reg. 41. de Anoma. mediæ radic. geminatæ in Conj. 1. & 3. Hoc itaqve fundamento primario una cum momentis exinde fluentibus, firmiter poſito, totum Cap. VII. D. Wasm. de neceſſaria vocalium mutatione in genere & in ſpecie, quoad rationes ex natura Lingvæ petitas, maximè illuſtrabitur.

Tandem Euphonia apud Hebræos multa ſibi vendicat, ejusque in gratiam, propter ſibilantem, fit literarum tranſpoſitio in Conj. Hithpael. Dageſch quoq; ſæpius literis imprimitur euphonicum, ut Pſalm. 18. 24. אֶשְׁתַּמֵּר pro אִתְשַׁמֵּר

De Methodo.

Unicum adhuc reſtat neceſſario adjiciendum; ut pauca tradamus quoq; de addiſcendæ Lingvæ Hebraicæ ſumma facilitate, juxta hæc noſtra principia. Hæc vero non ita capiantur, ac ſi vana quæratur gloriola, abſit! ὁ θεὸς γὰρ ὑπερε-

ὑπερφάνοις ἀντιτάσσεται. Sed ipſa res loquitur, & uſus, adjuvante ſummo Numine, hactenus id ipſum declaravit. Sunt namque, qui menſis ſpacio, â primis incipientes rudimentis, adhibita cura atq; diligentia, non tantum lectionem Hebraicam, ſed & Analyſin totius Geneſeos hauſerunt ſumma cum ſvavitate feliciſſime. Alii & quidem plures eadem facilitate trimeſtri adhibito, fontium divinorum accuratam aſſecuti analyſin, ſvavitatem lingvæ ſanctæ admirantes, ſucceſſu progreſſi exoptato. Hæc eum in finem referuntur, an forſan præjudiciis liberare eos poſſimus, qui hactenus difficultatem moroſam atque oneroſam Lingvæ Hebraicæ omnium ſanctiſſimæ adſcripſerunt, & ita omni abjecta addiſcendi ſpe hebraica neglexerunt. Nam qui apud Syros vocatur אכל קרצא devorans accuſando, diabolus, valde in eo laborat, ut quavis occaſione Theologiæ cultores potiſſimum, avocare & abſtrahere à ſanctis fontibus queat; Siquidem Scripturæ lectionem, qvoad ejus fieri poteſt, libentiſſimè impedit. Quare cujusvis eſt Chriſtiani, haſce attendere inſidias, præcipue illorum, qui ſacro ſeſe tradiderunt Theologiæ ſtudio; Ut evitatis deviis, curſum ſtudiorum felicem attingant, continuentque. Nos certe quantum Deus conceſſerit, libentiſſime viam Hebrææ Lingvæ planam, jucundam, brevemque monſtrare non tantum optamus, verum etiam allaboramus. In quavis autem diſciplina *Methodus* utramque, ut ajunt, facit paginam. *Eſt autem nil aliud, quam proceſſus à notis ad ignota & à facilioribus ad difficiliora.* Hanc & nos Regulam ſtudioſè obſervantes, in tradenda & addiſcenda lingva ſancta applicabimus,

§. I. Omnibus Latinorum notisſimæ ſunt literæ, ex his & quidem majusculis, demonſtramus Hebræorum fermé omnes ad oculum. Obſervamus autem ex Hebræorum Conſonis 1. אהוי ſpiritus 2. Gutturales אהחער nativam habentes clarîtatem 2. literarum בגדכפת adſpirationem, quæ per Dageſch lene tollitur.

§. II. Adjiciendæ ſequuntur vocales, quarum, ob ἀκρίβειαν ſuam, Hebræi duplicem adhibent figuram; vocanturque longæ & breves. Harum tonus ſtudioſè notandus, ſiquidem ad pronunciationem facit quam plurimum. His deinde annectantur ſigna vocalium ſcheva, Cateph patach &c. una cum nativæ adſpirationis ratione.

§. III Hiſce poſitis fundamentis, partes orationis Hebraicæ notandæ veniunt: *Nomen, particula, verbum. Nomen* eſt 1. vel Maſculinum vel Fœminiuum 2. ſingulare, duale vel plurale 3. duplicem habet ſtatum abſolutum & conſtructum. Regimen itaque quid Hebræis denotet, ſimplicisſime eſt capiendum, una cum ratione mutationis vocalium.

§. IV. Deinde Hebræorum præfixa משהוכלב proximum ſibi locum vendicant, de quibus itidem unde ſint & quodnam officium habeant, addendum.

§. V. His affigantur ſuffixa in proponendi modo, & quidem in certo qvodam paradigmate, ad quod recte memoriæ infixum, reliqua ceu ad lydium lapidem in nominibus & verbis examinari poſſint.

§. VI. Formatio verbi nunc ſequitur: Hoc autem ordinariè ex tribus conſtat conſonis, quæ radicales appellantur; Siquidem tertia ſingularis præteriti vocatur Radix, propterea, quod ex ea, tanquam ex radice arboris, rami, fructus totaque ſtirps; ita quoque perſonæ, modi & tempora

pora quævis ex tertia præt. ſing. originem trahant. Hoc ſtudioſiſſimè notandum, quo verbi formatio reddatur facilis atque jucunda. Ex præterito פָּקַד itaque juxta Hebræorum indolem deſcendit Infinitivus פָּקֹד vel brevius פְּקֹד. Hic Infinitivus brevior planè convenit cum Imperativo. Deinde ex Infinitivo abbreviato, optimè diducitur futurum. Nam infinitivus *in genere* ſignificat, ſi vero huic addas ſignum deſiderii אֶ; reſultabit & ſignificatio & formatio Futuri אֶפְקֹד. Jam ut eo citius retineántur perſonæ, initiales literæ ex *EGO, TU, ILLE, NOS, TU & TU*, id eſt vos, *ILLI*, notentur; nam literæ אִיתָּן ſunt paulo difficiliores. Tandem adjiciantur participia. Hæc Conjugatio prima Kal, tamdiu crebro eſt repetenda, donec celerrimè non tantum formare, ſed & ſignificatus tradere poſſis. Hoc fundamento poſito, obſervandus reliqvarum conjugationum Character & ſignificatus, ut tandem eodem modo in Hebraicis procedere queamus eademque facilitate, quo apud Latinos, in formatione; Amo, amavi, amatum, amare.

§. VII. Percepto ſatis verbo ordinario, reliqua omnia formare poſſumus, ſi modo quatuor obſervemus momenta, (1) quando verbum vel ab initio, vel in medio, vel in fine habet unam vel duas ex literis אהחער eſt *gutturale*. (2) Quando prima vel ſecunda verbi litera eſt י vel ו vocatur quieſcens, & (3) ſi prior radicalis eſt נ aſſimilatio obſervatur frequens literæ נ, hinc verbum defectivum audit (4) ſi media radicalis bis adeſt; Geminatum habes. Hæc quatuor verborum genera, paululum ab ordinaria diſcedunt formatione, & vocantur Anomala. Ad ſummum decem conſtituunt paradigmata, quorum ſi natura modo attendatur, omnis abeſt difficultas.

§. VIII.

§. VIII. Circa gutturales primæ Radic. א notanda tantummodo natura τῦ א quod ſit & ſpiritus, & gutturalis. Hinc facile dijudicatur, cur in Futuro Kal. in præt. Niphal & Hiphil, habeat ֶ & ֵ, item quare in Imperat. Inf. Fut. & Partic. Hiphil ֵ & ִ nec non in toto Hophal ſit Kamez Catuph & Kateph cametz: denique cur א in Futuro Kal. abjici, & forma participii loco futuri in quibusdam locum habere queat.

§. IX. Deinde conſiderentur verba gutturalia primæ Rad. החע, ubi ſi idem gutturalium duplex reſpectus modo attendatur, difficultas nulla ſupereſſe poterit.

§. X. Verba gutturalia ſecundæ Rad. אהחער quod attinet; claritas Gutturalium in Imper. & Fut. Kal. requiret patach, loco Cholem, & ſic dicendum eſt אֲבַחַר. Num. 17. 20. Cholem a. quia ex parte eſt ſpiritus, ergo ob maximam gutturalis vim facilè eliditur. In Piel & Pyl Dageſch forte ob easdem gutturales ſtare nequit, ubi deinde loco brevioris ponenda eſt longior vocalis, quâ Dageſch rejectum notetur. In 'pyal præcipue ֹ & ו Cholem quia eandem agnoſcunt originem, facile permutantur.

§. XI. Verba gutturalia tertiæ Rad. ע & ח patach genubha, præcedente vocali longiore, excepto ָ ob claritatem gutturalium ſibi vendicant; Cæterum ad formam ordinariam feliciſſime flectuntur.

§. XII. Verba quieſcentia primæ Rad. י ſpiritum ob naturam in Infin. Imperativo & Futuro Kal. pro lubitu vel abjiciunt vel retinent. In Niphal & Hiphil י paululum producunt, ut ita evadat ִי, deinde punctum ordinarium Chirek, hiſce conjugationibus proprium, τῶ י imponunt vel inſerunt, pro natura ſpirituum. Hophal autem ad differentiam τῆ Hiphil aſſumit י Schurek ob eandem rationem.

§. XIII.

§. XIII. Verba ſecundæ radicalis ו valdè amant contractionem,& puncta ipſi ו alioquin propria,Cholem & Schureck ; uſumque & exercitationem formationis ſuæ requirunt maximè.

§. XIV. Verba tertiæ Rad. נ ex natura ſpiritus & gutturalis ſuæ in Imper. & Fut. Kal. potisſimum ſunt anomala, ibi namque pro Cholem poſcunt (T). Quod a. in hiſce longior vocalis loco brevioris ſæpisſimè ponatur, eſt propter ſpiritum א.

§.XV.Verba tertiæRad. ה ex eodem fundamento ſpiritus ſui, valde ab ordinario verbo diſcrepant ; ibi tamen memoriæ ſuccurri quam optimè poteſt , ſi modo notemus, omnia præterita הָ, omnes Infinitivos ות omnes Imperativos ה, omnia Futura הָ, omnia Participia excepto Paul, itidem הָ ob ſæpius dictam rationem literæ ה neceſſario requirere.

§. XVI. Verba defectiva primæ Rad. נ facile dijudicantur, ſi modo obſervemus literam נ Hebræis ob ronchum per nares difficillimum, libentisſime admittere aſſimilationem vel compenſationem per Dageſch forte.

§.XVII. Verba Geminata mediæ radicalis,in multis conveniunt cum quieſcentibus ſecundæ Rad. ו, ubi contractio & quæ exinde fluunt præcipuè notanda.

§.XVIII.Verba quadrata rariora quidem ſunt; attamen facilè reſolvuntur,poſtquam attendimus,ea inPiel,Pyal.& Hithpael non ſecundam radicalem geminare , ſed primam & ſecundam ob euphoniam Hebraicam repetere.

§. XIX. Hæc totius Hebræorum Gramaticæ fundamenta attente conſiderata, dubia quævis graviſſima tollent. Si modo meminerimus Regulæ Methodi

cujusvis bonæ, videl. â notis ad ignota esse procedendum. Hoc in Analysi Hebraica maximopere notari meretur. Ibi n. plura resolvi non debent, quam quæ in Grammaticis principiis tractata fuerunt, reliquis tamdiu reservatis, suoque tempore adjiciendis.

§. XX. Quando vero verba duplicis Anomaliæ occurrunt ex. gr. primæ & tertiæ gutturalis; unicuique harum, ex rationibus antea datis, suum tribuatur, & quidem procedendo à prima vocis syllaba ad secundam & tertiam. Hoc modo verba חָזָה רָאָה עָשָׂה facili negotio flectentur.

§. XXI. In planê irregularibus exemplis observentur ordinariæ formationis vestigia, reliqua autem libertati Hebræorum & usui sunt remittenda, quo judicium intervallo temporis formari possit solidum atque accuratum.

I. N. J.

Corollaria.

I.

AFfectus Scriptoris θεοπνεύστου in Lectione Lingvæ Sanctæ attendi quam maximè meretur; quo neglecto, vix datur clara, certa, evidensque Scripturæ interpretatio.

II.

Affectum Scriptoris Sacri, nemo, nisi ad Deum

Deum intimè conversus, assequi verè poterit; alioquin ab ingenio humano facilè corrumpitur.

III.

Ex affectu Hebræorum summa in loquendo brevitas exoritur.

IV.

Brevitas Hebrææ Lingvæ tanta est, ut Linguarum, maximè occidentalium, nulla, quoad significandi latitudinem ipsi comparari possit: inquit Venerandus *Caspar Neumannus Uratislaviensis* in recens edita *Genesi Lingvæ Sanctæ V. T.* elegantissima p. 19.

V.

Idem Clarissimus ante dictus autor rectè statuit; adeo verum est, amare Linguam hanc (Hebraicam) quomodocunque facta pronunciandi compendia, ut hinc etiam primarium Mutationis punctorum peti soleat fundamentum; quærenti enim, *CUR* voce crescente vocalium multiplicatarum quædam mutentur v. gr. in (:) Scheva? Respondent, ut diminuto Syllabarum numero, brevior reddatur vocis pronunciatio p. 127.

VI.

Hebræorum Grammaticæ, pronunciationis, affectusque veræ dantur atque genuinæ rationes & causæ.

VII.

VII.

Scrutinium cauſarum rationumque de regulis & obſervationibus Grammaticis, utile & neceſſarium eſt.

VIII.

Particulæ & notæ Hebræorum in poſterum ſtudioſius erunt attendendæ; ſiquidem ex harum genuina perceptione, radicum inveſtigatio fluit quam felicisſime. Id quod egregiè demonſtrat, Ven. ante laudatus Neumannus Uratisl; in Geneſi Ling. S. V. T.

IX.

Præteritum eſt tempus illud, quod ipſum Thema in prima ſua forma & origine continere ſolet, Buxtorf. in Theſauro Gramm. L. 1. c. 36.

X.

Crevit hucusque poſt Judæorum tenebras Chriſtianorum ſolertiâ, Grammaticum Hebraiſmi ſtudium. Creſcat & imposterum: verba ſunt Ven: Caſp: Neumanni p. 128.

NOTA.

Propter Punctorum in Typographia defectum, Cholem & Schurek, item Dageſch forte exprimi ſæpius non potuit; quæ, ut benevolus Lector pro lubitu ipſe adjiciat, valde rogamus.

(O)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-529447-p0033-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-529447-p0034-2

Be 768
8°

ULB Halle 3
005 611 806

VD 17

Rudo V

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-529447-p0036-3

D. B. F. Q. V.

De

LYSI HE-

ÆLINGVÆ

Grammaticarum rationes

ecundum naturæ ductum

demonſtrante,

SSERTATIO

Quam

hiæ Magnificentiſſimo, Sereniſſi-

Principe ac Domino

DN.

CO WILHELMO,

s Brandenburgici Hærede,

&c. &c.

23. May Anno M. DC. XCVI.

uditorum Examini ſubmittunt

PRÆSES

LHELM:SCHÜSLERUS

Blankoburgenſis

Et

ESPONDENS

Erneſtus Reinhardus.

Molhuſ. Thuringus.

cæ, Literis VIDUÆ SALFELDIANÆ.